



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propugnaculum: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Prudentius à Sandoual. Ep. Pampil. n. 57

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

57. A PRVDENTIO DE SANDOVAL *ex Sacra D. Benedicti Familia Episcopo Pompeiopolitano Caroli V. Historiographo Cesareo: is Tom. 2. lib. 24. §. 22. Augustum hoc profert de Societate iudicium.* Intelligent *(inquit)* omnes Catholici curam, qua Ecclesiam suam sponfam sibi vnice dilectam Deus amplectitur, quamque tempestatibus fatigatam, diuinis fauoribus recreat, nouos in ea spiritus, & generosos milites, industriosque gubernatores euocando, per quos, ne quo casu illa pereat, constituatur in tuto. Cum à septentrionalibus Europæ partibus suum secuti Lutherum plures alij emergerent brutales Hæretici, ferarum instar coniurati omnes æquare solo vineam Domini; ipse ab Oriente gloriosum excitauit Ignatium, qui abstractus à militia, armisque terrenis, arma inter alia, & opera magis heroica poneretur, adeoque cum ceteris armandis ab se socijs, in ipsum Apostolorum, & Ecclesiæ primæuæ munus, Officiumque succederent: itaque per illos suademum fides diuino constaret oraculo: in omnem terram exiuit sonus eorum Pl. 28. Quod certum nunc, & ipso expressum opere nostris nos oculis contuemur, quando Patres illius sanctæ Societatis orbem ex hoc vniuersum circuiuere, Deique legem annunciando mortalibus, eò demum, quò nec ipsi penetrarunt Apostoli, peruenerunt. Illis nempe nouos Orbes vtriusque ad Orientem, & Occidentem Indiæ, maiorem certe partem eorundem, veluti destinato seruaui Deus, vt ibidem gens illa benedicta Apostolorum sociorum munere fungeretur. *Ita refertur in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 5. cap. 11. fol. 680.*

Excitatur Ignatius contra Lutherum, & affectas.

Qui Socios in Ecclesia, & Apostolorum munus successuros armar.

Euangelium etiam quo ipsi Apostoli non peruenerunt, annuntiantes.

* AB EODEM: *Qui in eadem Hist. Caroli V. Par. 2. lib. 24. §. 25. agens de nostri Instituti excellentia, sic ait: Institutum, & ratio gubernandi, quæ Sacra hæc Societas vitur à S. Ignatio tradita, & à filijs egregie obseruata, è præclarissimis, prudentissimisque, & charitate plenissimis est, quæ in aliqua vquam floruisse Republica cognoscuntur: idque manifestum facit incrementum, quod tam breui temporis spatio, toto*

Societatis Institutum laudatur.

Ex eius obseruantia.

Ex Collegiorum incremento.

Ex Alum-
nis.

Ex Marty-
ribus.

Ex libris
scientia
refertissi-
mis.

terrarum Orbe accepisse cernitur : tot millia Collegiorum, ac Domuum, quas habet, homines Collegiorum Alumni, qui citra hyperbolem doctissimi appellari merito possunt. Prouinciæ, quas ad Religionis Christianæ imperium adiunxerunt, sudor, ac sanguis tot Martyrum fusus, libri sapientia ac solida scientia refertissimi, quos edidere, & alia sexenta munera, quæ obiere, ac perpetuo obeunt, quæ quia huius loci non sunt, & ego ijs scribendis impar, prætereo. *Sic illius ex Hispano idiomate perhonorificum testimonium Latine redditum.*

Quam uti-
les Societa-
tis Scholæ.

58. AB HENRICO CVYCKIO *Episcopo ad Albertum Archiducem sic in Scholarum Societatis commendationem scribente.* Meliorem nunc cogitationem suscepimus requirendæ à Patribus Societatis IESV literariæ Scholæ, quæ non Ruremundanæ tantum Ciuitati, sed toti huic supernæ Geldriæ, Vuertanæ quoque, & Iuliacensi nobis conterminæ, & Cliuensi Prouinciæ magno vsui, adeoque necessaria est futura. *Hæc Ruremundanus Antistes in Imag. 1. sec. Soc. lib. 6. cap. 3. Sess. 1. fol. 772.*

Litera su-
per Loua-
niensis
Collegij
fundatio-
ne.

59. A LÆVINIO TORRENTIO *Antuerpiensi Episcopo vere magno, qui præcipua Patrum nostrorum vsus opera, vltimis quatuor vitæ suæ annis septies mille à fide alienatos Ecclesiæ conciliauit. Quantum in eo Patronum haberet Societas manifestum fuit in Louaniensis Collegij fundatione, quam ei dissuadendam quibus nescio rationibus Academia susceperat: sed frustra, vt constat ex Torrentij literis peregregijs, quas super hac re dedit Antuerpiæ ad Academicos pridie Nonas Maij, anno sexquimillesimo nonagesimo quarto. Cum ab eo tempore (inquit) quo primum instructus literis Louanij, alias quoque Prouincias accessi, ac tandem diuino fretus auxilio in Patriam reuersus sum incolumis; nihil magis desideravi, quam occasionem aliquam dari, quo accepti memor beneficij, de Louanio vicissim benemereri, atque animi gratitudinem aliquam ostendere possem. Successit res non omnino infelicitè. Quod enim ex peculio honeste parto superfuit,*
id